

Sacerdos censuris non irretitus celebrans ceram vitando excommunicato a Papa vel ab episcopo non est irregularis; nam in iure non exprimitur, licet contrahat excommunicationem majorem celebrans coram excommunicato a Papa, ex cap. *Significasti*, ex de sentent. excom. Henriquez lib. xiv, c. 7, n. 3; Suarez de Cens. disp. 42, sect. 5, n. 2. « Celebrans scienter in ecclesia sanguinis vel seminis effusione polluta, vel presentibus majori excommunicatione nodatis, licet temerarie agat, tamen non est irregularis; quia hoc non est expressum in iure. » Barbosa ad cap. *Is qui*, de sent. excom. in 6, n. 1.

Episcopus nominatim suspensus exercendo ordines fit irregularis. Cap. *Is qui*, de Sentent. excom. in 6; Suarez loc. cit., disp. 26, sect. 2, n. 2.

Suspensus a presentando, eligendo, conferendo, excommunicando, absolviendo a censuris, exercendo actum suspensus non fit irregularis, cum non sit expressum in iure. Giballinus cap. 9, de Irreg. q. 4, consect. 14.

An vero incurrat irregularitatem qui ordinatur aliqua irretitus censura? Audiamus in hac re Benedict. XIV ita docentem: « In nonnullis diocesisibus (sunt ejus verba) eousque processerat clericorum audacia, ut quamvis suspensione irretiti, ab exercitio se abstinere ordinum quibus erant initiati, attamen nulla impetrata absoluteione a censura ad superiorem ordinem ascendere non dubitarent. Episcopi in quorum diocesisibus hæc frequentius eveniebant... quæsiwerunt a nobis in minoribus tunc constitutis, an sibi fas esset eos synodali decreto declarare irregulares. Huic interrogationi indubitanter respondimus id nequaquam ab episcopis posse decerni. Apud omnes enim canonistas principii loco est irregularitatem a solo iure, et non ab homine induci posse. A iure autem irregularitate quidem afficiuntur qui contempta qua ligantur censura, in suscepto ordine solemniter ministrant; nunquam vero irregulares pronuntiantur qui cum ejusdem censuræ vinculo ad superiorem ordinem ascendere præsumunt. Scimus enim vero non defuisse doctores quibus visum cum fuerit ascensum ad altiorem ordinem quoddam esse exercitium inferioris ordinis jam suscepti, idcirco docuere irregularitatem a iure in primo casu irrogatam, etiam secundum complecti... Sed istud non ignoramus veriore et communiore esse sententiam oppositam, quæ quanquam sacrilegii reum fateatur, qui sciens se censuræ vinculo obstrictum, superioris ordinis gradum audacter conscendit, eum tamen ab irregularitate absolvit. Quam quidem sententiam amplexata est S. Congr. Concilii in Carinolen. seu Neapolitanæ Ordinationis, die 31 jan. 1688: siquidem recipiens altiorem ordinem non nisi improprie dicitur solemniter ministrare in inferiori ordine, a cuius exercitio est suspensus. » Lib. xii, cap. 3, n. 6 et 7.

Male promotos quoque in ordinum sus-

ceptione inter irregulares abiecit Ecclesia. Uti tales habentur ordinati ab episcopo qui renuntiavit episcopatu. — Sic quoque « qui ordinatur ab episcopo excommunicato, suspensus, interdicto, hæretico, schismatico, aut simoniaco, fit irregularis. » Sic D. de Ligorio de Irreg., num. 358, cum aliis idem tenentibus DD. Porro etiam « ex furtiva ordinum susceptione fit irregularis qui ordinem recipit sine approbatione episcopi; nam is prohibetur ad alium ordinem ascendere. Qui sine dispensatione episcopi eodem die recipit plures ordines quorum unus est sacer, qui post matrimonium contractum ante consummationem ordinem sacrum recipit, renitente uxore. » Vero in fin. hæc addit: « Alias vero furtivas receptiones ordinum ex defectu dicunt Suarez et Salm. potius inducere suspensionem quam irregularitatem; nihilominus pro absoluteione hujusmodi suspensionis semper est recurrendum ad Papam. » D. de Ligorio, loc. cit., n. 361.

Contra vero aliis visum sic ordinatos non esse irregulares, sed suspensos ab exercitio ordinis suscepti. Hoc pacto ex horum posteriorum sententia, ordinatus ab episcopo qui renuntiavit episcopatu non est irregularis, sed suspensus ab executione ordinis suscepti. Azorius, p. 3, lib. iii, c. 48, q. 13. Idem dicas de ordinato ab episcopo innodato censura, vel irregulari, adeo ut non incurrat irregularitatem, sed suspensionem. Leander disp. 20, q. 2. « Ordinatus ab episcopo excommunicato, sic Reiffenstuel, recipit quidem characterem ordinis, non tamen hujus executionem. Quia cum episcopus excommunicatus, idemque est de suspenso, deposito, degradato, simoniaco, hæretico, vel schismatico... ordinis executionem non habeat; nec aliis eam dare potest... Igitur qui ignoranter ordinatus fuit ab episcopo excommunicato, suspenso, etc., cum primum id resciverit, tenetur ab usu et executione ordinum sic receptorum abstinere, donec per proprium episcopum dispensetur, utpote qui ipsum a tali suspensione absolvere seu dispensare potest... Si vero clericus, prosequitur idem cl. interpret, scienter, aut per ignorantiam crassam vel supinam ordinatus fuerit ab episcopo excommunicato, tunc per solum Papam poterit cum eo dispensari. » Ad tit. 13, ex de Ordinatis ab episc. qui renunt. Episc., n. 8 et seqq.

Requiritur amplius quod episcopus ob crimen suum vel censuram fuerit nominatim denunciatus, aut notorius existat percussor clerici: alioquin, sicut de facto vitandus non est, ejus ordinatio non inducit inhabilitatem exercendi ordines ex parte ordinati. Reiffenstuel, loc. cit., n. 13.

Sic quoque furtive ordinatus, hoc est sine approbatione, vel recipiens duos ordines minores in scio episcopo, vel non approbatus, vel alium examini suo loco submitteus, non est irregularis, sed suspensus. Suarez de censuris, disp. 42, sect. 3, n. 1; Giballinus c. 5, de Irregul., q. 1, n. 24, dub. 6.

Præterea recipiens eodem die tonsuram et ordines minores non est irregularis. Say-

rus lib. vii, c. 10, n. 25. Neque irregularitatem incurrit recipiens eodem die ordines minores et subdiaconatum in scio episcopo, sed adest pœna suspensionis ferendæ. Suarez de Censur., disp. 42, sect. 3, n. 1.

Ex sententia D. de Ligorio, quæ est etiam Lucii nostri « qui eodem die duos ordines sacros susciperet, non solum graviter peccaret contra præceptum Tridentini in cap. 13: *Duo sacri ordines non eodem die, etiam regularibus conferantur*; sed etiam incurreret suspensionem ab illorum exercitio, et in irregularitatem incidere. » De Sacram. Ordin., n. 796. Barbosa vero de Offic. et Potest. Ep., all. 14, n. 11; Engel ad tit. 11, ex de Temp. Ordin., Reiffenstuel ad tit. *Eundem*, § 8, n. 206, de pœna suspensionis duntaxat, in casu proposito verba facere videntur. « Sub pœna suspensionis prohibitum est ne plures sacri ordines, vel etiam minores cum subdiaconatu eodem die recipiantur. » Engel loc. cit.

« Sed dubium est an suscipiens una die duos sacros ordines sit suspensus ab utroque, vel ab altero eorum. In quo dicendum mihi videtur fieri suspensum solum ab ultimo ordine suscepto. Ita Suarez de Censuris, disp. 34, sect. 1, n. 40. » Barbosa de Officio et Potest. Episc., alleg. 14, n. 11.

« Bonacina subdit, sic idem Barbosa, dispensationem suspensionis contractæ ab eo qui plures sacros ordines, aut minores cum subdiaconatu eodem die recepit, esse summo Pontifici reservatam, et excipit casum, quando sic ordinatus religionem ingressus est, et peracta penitentia laudabiliter in religione vixit, quia tunc abbas et episcopus dispensare poterunt. » Collectanea DD. in Tridentinum ad cap. 13, sess. 23, de Reformat., n. 14.

Additque is idem scriptor « Episcopum plures sacros ordines uni conferentem eodem die, suspendi a collatione ordinum, donec a Papa dispensetur. » Ibid., n. 13.

Atque in hac de qua agimus materia operæ pretium est constitutionem Pii II hic afferre in hæc sane verba: « Omnes et singuli qui absque dispensatione canonica aut legitima licentia, sive extra tempora a iure statuta, sive ante ætatem legitimam, vel absque litteris dimissoriis proprii ordinarii ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoveri, a suorum ordinum executione ipso iure suspensi sint; et si, hujusmodi suspensione durante, in iisdem ordinibus ministrare præsumperint, eo ipso irregularitatem incurrant. » Constit. incip. *Cum ex Sacrorum ordinum*, tom. I. Bullar. Quæ constitutio, ut Gagliardus scribit, suam vim habet. Inst. Can. lib. ii, cit. 10, de Sacram. ord., n. 108.

(98) Altera etiam pœna sic delinquentem committatur, nempe suspensio ab ordine proxime suscepto infligenda ad biennium, vel triennium, ex cap. 2, ex de Cler. non ord. ministr. ubi statuitur: qui missarum celebrationem usurpare præsumperit... ad sacerdotis officium non poterit promoveri; a diaconatu quoque biennio vel triennio maneat suspensus. » Dicitur notanter ab ordine proxime suscepto:

An autem incurrat irregularitatem qui ante legitimam ætatem suscepit sacerdotium? Prima sententia affirmat... secunda vero sententia communior, et valde probabilis, negat; et hanc tenent Suarez... Barbosa... Referuntque Suarez, ac Escob., hujusmodi ordinatos ex stylo cancellariæ non reputari irregulares, cum ipsi tantum a suspensione absolvantur. D. de Ligorio de Sacram. Ord., n. 799, dub. 3.

Dubitatur adhuc an suspensus ubi non ordinis sacri male suscepti, sed alterius antea rite, ac bene sibi collati functiones obiverit, incurrat irregularitatem. Negans opinio est probabilior: attamen contrariam uti tutiorem approbat stylus S. Penitentiarie apostolicæ, eo etiam in casu largientis dispensationem super irregularitate. Gagliardus loc. cit., n. 110.

At exercens minores ordines male promotus non fit procul dubio irregularis, ex ejusdem bullæ Piane sententia, quæ hujusmodi pœnam in sacris duntaxat male susceptis ordinibus infligit. Gagliardus, ibidem.

« An vero clericus qui in ipsa ordinatione suspenditur eam indebite suscipiendo, irregularitatem incurrat, si in ipsa ordinationis missa solemniter ministret, puta canendo evangelium vel epistolam? Affirmat Tournely cum aliis. Sed alii negant; quia ille actus moraliter loquendo non est distinctus ab ipsa ordinatione; cum tota actio ordinantis a princ. usque ad finem officii sit unus actus moralis, ad quem reliqui spectant. »

Pariter fit irregularis clericus ministrans scienter et solemniter in ordine sacro, quem non habet. Et revera grave delictum est si clericus exerceat ordinem quem non suscipit: v. g. si diaconus missam celebret, solemniter baptizet, nuptias, aut aquam benedicat. Porro ex irregularitate quæ inde contrahitur sane fit ut ad superiores ordines, puta diaconus ad sacerdotium ordinari non amplius possit, textu claro: *Si quis baptizaverit aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abiciatur de Ecclesia, et nunquam ordinetur* (98). Cap. 1, ex de Cler. non ord. min. Reiffenstuel. ad h. tit., § 1, n. 1 et 2.

Ad hoc ut clericus non ordinatus irregularitatem incurrat, sequentes requiruntur conditiones. Prima, ut proprium actum seu ministerium ordinis exerceat quod non nisi ab ordinato exerceri potest: prout contingeret si minorista epistolam cum manipulo, vel subdiaconus evangelium cum stola solemniter cantaret, vel diaconus celebraret, solemniter baptizaret, sacramentaliter absolveret, extremam unctionem conferret (99), etc. Secunda conditio est ut clericus hujusmodi ordinis actum exerceat serio,

cum enim nec in hoc epitulo nec alibi fiat mentio aliorum inferiorum ordinum, horum suspensionem talis clericus non incurrit. Suarez de Cens., disp. 42, sect. 4, n. 4; Reiffenst. ad tit. cit., § 1, n. 4. — Tertia pœna est excommunicatio. Suarez loc. cit. n. 7; ibid., n. 5. Quarta pœna est degradatio et traditio curiæ sæculari. Reiffenst. eod., n. 3.

(99) Secus si ex. g. clericus in minoribus consti-

saltem quoad exteriorem actionem; si enim ex joco duntaxat, vel per modum ludicrae, vel scenicae actionis id facit, in ordine ministrare, vel actum ejus exercere non censetur, consequenter irregularis non evadit. Pirhing tamen cum Suarez bene subjungit sufficienter ad propositum serio agere illum, qui exteriorem actionem ordinis serio producit eo modo et fine ut homines decipiat; vel persuadet se ex vero et sincero animo, et intentione etiam interna, talem actum ordinis exercere, etsi revera talem intentionem, et mentem internam non habeat, imo nec habere possit, quando scit quod ordinem requisitum pro actu non habeat. Reiffenstuel ad tit. 28, ex. de Cleric. non ordin. ministr., n. 2 et 6.

Nota clericum non sacerdotem, etiam in extrema necessitate baptizantem solemniter, fieri irregularem; nam exercet actum proprium sacerdotis. Barbosa ad cap. Si quis baptizaverit, ex. tit. cit., num. 2.

Secus dicendum de diaconis solemniter baptizantibus « si illis ob rationabilem aliquam causam baptizatio a proprio sacerdote commissa fuerit. » Engel ad tit. ex. de bapt. n. 2.

Queritur utrum laicus exercendo actum ordinis praesertim majoris, puta, celebrando missam, absolvendo sacramentaliter, irregularitatem, vel aliam poenam, et quam incurrat? Laicus qualemcumque actum ordinis exercens, irregularitatem non incurrit... Ratio est quia rubrica hujus tituli de solis clericis non ordinatis, minime vero de laicis loquitur, consequenter ad hos dispositio poenalis extendi non debet... Reiffenstuel de Cler. non ord. Ministr., n. 11 — « An autem laicus exercens actum ordinis quem non habet incurrat irregularitatem, probabilius negatur. » D. de Ligorio de Irregul., n. 359.

Quamvis vero laici actum ordinis exercentes irregularitatem non incurrant, nihilominus si laici vel clerici celebrationem missae vel absolutionem sacramentalem usurpare attentant, tanquam idololatram et gravissimi falsi rei, omni misericordia indigni judicari, et curiae saeculari pro debitis poenis tradi possunt et debent, prout de utriusque Clemens VIII et Urbanus VIII statuerunt in constitutionibus Et si alias: — Apostolatus officium: Reiffenstuel ibidem, n. 13.

Inter crimina irregularitatem inducentia est quoque adnumeranda violatio ecclesiasticae immunitatis: ex Carol. Gagliardo,

tutus caneret epistolam sine manipulo, quia sic interdum canitur a laicis: Antoine Theol. Moral. de censuris, cap. 5, q. 5.

« Irregularitatem non contrahit exercens ordinem sacrum sine solemnitate, quamobrem cantans Epistolam sine manipulo, vel Evangelium sine stola, non fit irregularis, eo quod non dicatur canere solemniter ex ordine et ex officio, sed tantum dicatur uti officio cantor. » Barbosa Repertor. Jur. Can. et Civ., v. Irregularitas. Hic notandum, Lucium nostrum v. Missae sacrificium, art. 12, n. 58, referre Decretum S. congregationis, an. 1604, tenoris sequentis: « Clericus qui solemniter cantat epistolam

Inst. Jur. Can., de Sacram. Ord. lib. II, n. 104.

Quoad autem irregularitatem ex infamia, illud hic iterum repetimus quod v. Infamia diximus, nempe solam infamiam facti non reddere hominem irregularem, etiamsi sit publicus concubinariis, ut docent Suarez de cens., disp. 42, sect. 3, n. 7; Giballinus, c. 5, de irreg., q. 4, consec. 7, n. 19. — « Quod si clericus repertus fuerit (stupri) reus, ac etiam a iudice condemnatus, quamvis tunc ob notorietatem delicti efficiatur infamis infamia facti, tamen non evadit irregularis, ut a suo ordinario, peracta poenitentia, non possit ad superiores ordines promoveri, quidquid perperam dicant sine juris fundamentis. Nam crimina quae juris infamiam non habent annexam (prout illam non habere crimen stupri compertum est ex c. Infames, 6, q. 1.) non inducunt irregularitatem veram, etiamsi delinquens factus sit infamis ob publicitatem criminis. » Monacellus Form. leg. pract., suppl. ad tom. I, tit. 8, form. 10, n. 161 — Vide additiones nostras. v. Infamia.

Insuper hic addimus, non esse infames nec irregulares tabernarios, macellarios, cum non sit expressum in iure. Palaus disp. 6, puncto 20, n. 6; Leander tom. V, tract. 2, disp. 26, q. 11. — Sic quoque publicos poenitentes non esse infames, nec irregulares. Suarez loc. cit. disp. 42, sect. 2, n. 3; Giballinus ibid., c. ult., q. ult., in fine tradunt.

Ex defectu corporis habendus irregularis impotens ordinem exercere, vel valde deformis.

Hinc oculi defectus generans horrorem, licet visum non tollat, reddit irregularem, et qualis sit gravis horror deformans, episcopo standum. Henriquez lib. XIV, c. 8, n. 2; Filliucius tract. 19, c. 3, q. 9, n. 168 — Sic myopia, hoc est visionis debilitas, tantum prope oculos admota videns, reddit hominem irregularem, si inde deformitas gravis, vel videntium risus excitetur. Sylvester v. Corpore vitiati 1, n. 5; Navarr. c. 27, n. 144.

Surditas utriusque aures reddit irregularem, nam generat risum respondendo obscure, vel confundendo interrogata responsis, non sic surdastitas. Filliuc. ibid., n. 169. Layman lib. I, tr. 5, puncto 5, c. 7, n. 1. — Si tamen sacerdoti talis morbus superveniat, irregularitas erit partialis, impediendo scilicet aliquas ordinum functiones. DD. communiter.

cum tunicella, et reliquis sacris vestibus, sed absque manipulo, debet petere dispensationem irregularitatis ad cautelam. » At lectorem nosse oportet eandem S. Congregat. die 5 Jul. 1698, in Collen. decrevisse in haec verba: « Deficiente subdiacono pro missa solemniter, data necessitate, potest permitti per superiores ut substituat constitutus in minoribus ordinibus ad cantandam Epistolam paratus sine manipulo. » Hoc pacto laicus cantans in missa Epistolam etiam cum dalmatica, sed sine manipulo, non contrahit irregularitatem. Cabassutius Jur. Can. Theor. et prax., l. V, cap. 20, de Irreg., n. 4.

Mutus est irregularis — Balbus blasus non est irregularis, nisi gravis deformitas et risus generetur, puta si vix verba proferre valeat. Sayrus l. VI, c. 8, n. 17; Toletus lib. I, c. 63, n. 4.

Labia corrosa, abscissa, vel os graviter distortum reddunt irregularem ob enormem deformitatem, Toletus loc. cit.; Henriquez lib. XIV, c. 8, num. 3.

Carentia dentium non reddit irregularem, quia non inducit deformitatem sicuti induceret deformitatem et irregularitatem dentium exorbitantia et proeminentia extra os. Bonacina de Irregular., q. 2, n. 6.

Carentia odoratus non reddit deformem nec irregularem. Giballinus q. 2, c. 3, consec. 3.

Impotentia gustandi vinum reddit irregularem, quia reddit impotentem ad celebrandum sub utraque specie. Navar. c. 27, num. 104; Toletus lib. I, c. 63, num. 4, et hoc, ita ut nequeat Summus Pontifex dispensare, secundum communem opinionem D. Thomae, qua nequit dispensare ut celebretur sub una specie, contra quosdam docentes Papam in hoc posse dispensare: ut videre est apud Leandrum tom. II, tract. 8, de Sacrif. Miss., disp. 1, q. 19.

Habens cicatrices in facie, vel faciem valde usulatam deformem est irregularis ob deformitatem gravem. Filliuc. tract. 19, c. 6, q. 5, n. 171. Idem dicendum de tumore in facie, si inde gravis deformitas habeatur.

Brachia curta generantia deformitatem gravem, ut attracta, retracta, contracta, tremula, reddunt irregularem ob gravem deformitatem, et inhabilitatem ad exsequendum ordinis munus. Majolus lib. I, cap. 14, n. 19. Manus habens trementes est irregularis, si sit periculum subvertendi calicem, vel nequeat elevare hostiam, vel frangere, ordinisque munia exsequi. Henriquez lib. XIV, c. 8, n. 4, in fine.

Pedes contorti intra vel extra notabiliter cum deformitate reddunt irregularem: si vero occultari possit defectus, non adest irregularitas. Navarr. lib. V, cons. 67. « Claudus si taliter sit, ut illum oporteat cum baculo accedere ad altare, vel si ligneo pede incedat, est irregularis. » Barbosa Jus Eccl., loc. cit. 33, n. 137. Laborantes continua et incurabili podagra vel chiragra ordinari non possunt. Barbosa ib., n. 142.

Quantum vero ad irregularitatem ex defectu lenitatis:

Non est irregularis clericus clamans suffu-

(100) In art. 1, sup. v. Irregularitas, n. 56, invenitur scriptum ut sequitur: « Irregularitatem contraxit qui contra fures clamavit, et isti capti, fuerunt capite damnati. S. Congr. Conc. in Casalen. Irregularitatis 24 sept. 1718. » At decretum sic cit. atio spectare videtur. Siquidem ibi sermo est de quodam presbytero (Jacobo Rampini) qui in domo a vocati ejusdem (Vasini) habitabat; quam nocturnus fur ingressus, cum in quodam horreo ibi existente se abdideret, eoque ancilla domini donus cum lumine accedente, ac conclamante de qui illudro, talis fur lumen exstinxisset, presbyter ut supra scelopum adversus eum explodens, ac vulnera afficiens, inde hic occubuit. Cuius d. presbyter hujus-

rari bona si fur inde captus morti tradatur. Clamor enim est defensionis, non accusationis actus, nec est pars iudicii, iudice tunc procedente ex officio: idemque est si vicini clamore excitati trucident, aut captum iudici tradant, dummodo clericus moneat ne fur occidatur (100). Ita Dicastillus tract. de Cens. disp. 7, n. 957; Layman lib. V, sect. 5, tract. 3, p. 3, c. 7, n. 5, et alii complures. Imo si ipse clericus furem teneat, et iudici tradat ut recuperet bona sua, facta protestatione se id agere remota poena sanguinis, non fit irregularis. Sayrus lib. VI, cap. 8, n. 7.

Testes voluntarii, qui libere se offerunt ad testificandum contra reum, etiamsi protestentur non intendere sententiam sanguinis, fiunt irregulares: si vero sint coacti ad testimonium ferendum, sane excusantur. Suarez disp. 47, sect. 3, n. 4. D. de Ligorio de irreg., n. 468. Hinc clerici cum protestatione se nolle poenam sanguinis, qui legibus regni ad testimonium ferendum compelluntur, servatis servandis, irregularitate non innodantur.

Quantum porro ad effectus ex irregularitate, « haec sane non privat (ut sup. monuimus) jurisdictione exteriori, quae non includit exercitium ordinis, facultate delegandi, et per alios sacramenta administrandi. » Monacellus Form. leg. pract. praelud., part. III, § 17, n. 184.

Nonnullis doctoribus visum multiplicari irregularitates ex multiplicatis transgressionibus seu peccatis ejusdem generis seu speciei, ut evenit in censuris, quae quidem multiplicantur multiplicatis transgressionibus seu peccatis ejusdem speciei. Contrarium tenere videtur Sanchez, qui sic habet: « Irregularis eo quod excommunicatus celebravit, non tenetur multiplicatae celebrationis mentionem facere, » lib. VIII, de Matr., disp. 24, n. 7. Et ratio est quia « irregularitas, ut ait Garcias, est quaedam inhabilitas per modum habitus, et permanentis, et sic non multiplicatur multiplicatis actibus ejusdem rationis, seu generis; censura autem est quaedam poena per modum transeuntis, cum sit de se absolubilis, seu vinculum dissolubile. » De Benefic. part. VIII, cap. 3, n. 87. Hoc pacto, etsi quis plures irregularitates contraxerit ejusdem speciei, puta si pluries ministraverit cum censura, sufficit ad obtinendam dispensationem si dicat tantum se irregularem esse ob talem culpam. Ex D. de Ligorio de irregul. n. 353.

modi casum apud S. congr. conc. exposuisset pro irregularitatis, si et in quantum, dispensatione: praeaudata S. Congr. Conc., considerando quod « si sacerdos sibi, vitaeque suae cavere potuisset absque sclopi explosione, aut tacendo, aut se non movendo, et forte sensim fugiendo, (tunc) homicidium licet furis nocturni evadit culpabile. » Proposito dubio, « an constat de irregularitate, et quatenus affirmative; an sit locus dispensationi in casu, respondit affirmative quoad primam partem, et negative quoad secundam. »

Ita apud Thesaur. Resol. S. Congr. an 1718, die et mense uti supra, pag. 117, 118, 119